



Nr. 41.  
(1)

10.<sup>4</sup>

# HISTORIA IESU CHRISTI MVHAMMEDICA

---

*EDIDIT*  
IO. HENR. CALLENBERG  
Ph. Prof. Publ. ord.


---

Halæ in typographia instituti iudaici  
cl<sup>o</sup> lccc xxxvi.

HISTORIA  
IESI CHRISTI  
AD MAMMADI

EDICIO  
JONATHAN CATHERBRI  
PT. FOL. B. 17. 9.

LIBERUS IN TIBURCIENSIS  
CIPROCCUS LIBER



## Cap. I.

*Muhammedica de Christi nativitate narratio.*

### §. I.

**A**Mranus, Mariæ pater, diuersus fuit ab Amrano, qui Mosen genuit. Inter utriusque ætatem mille centum & octo anni intercesserunt. Natus ille est patre Mathano, cuius filii Israelitarum principes fuerunt, pontifices atque reges. Porro genus duxit Amranus ab Ashamo, qui unus ex

A 2

filiis

---

Muhammedica. Finis, qui mihi hic propositus est, quodammodo cognosci potest ex subiectis symboli muhammedici notis, & præfatione muhammedicarum de Abrahamo narrationum. Desumpta autem hec sunt ex Alcor. II. 254. III. IV. 155. 156. 255. V. 110-118. XIX. 16. 22-34. horumque locorum interpretibus maraccianis. Notæ quoque ex moslemorum monumentis petitæ sunt.

filiis Salomonis est, decimo quinto loco genitus. Adiunxit sibi Amranus uxorem, Annam, filiam Phacudi, qui, præter dictam, habuit quoque Aseicham, quæ Zachariæ nupsit.

§. II. Anna sterilis de prole diu desperauit, donec ad summam peruenit senectutem. Tum vero, cum aliquando auem in arbore vidisset cibum pullis præbtere, concepit cupiditatem prolis: eamque ut det, a Deo postulauit; promittens, se, quem peperisset, filium in templum delaturam, ut in eo ministret. Tum Anna se grauidam esse sensit; sed, antequam partum edidit, vita defunctus est maritus.

§. III. Natam filiam, a matre oblatam, pulchre Dominus suscepit, fecitque, ut germinaret instar pulchri germinis, & tantum ei staturæ uno accederet die, quantum vix anno solet. Attulit eam mater ad pontifices, præfides templi, dixitque: *en offero vobis, quod Deo deuoui.* Lætabantur pontifices, & eorum quisque eius tutelam in se recipere cupiebat. Zacharias dixit: *hæc mihi potius debetur, quam cæteris; etenim amita eius mea uxor est.* Responderunt reliqui: *nequaquam; sed rem ad sortem reuocemus.* Abiuerunt igitur sacerdotes, numero nouem & viginti, ad flumen,

---

Aseicham, i.e. Elisabetham.

flumen, Iordanem, eoque proiecerunt virgas, hac conditione, ut, cuius virga in aqua consistat & supernatet, ei, vel eius in custodiam, puella tradatur. Substituit Zachariæ virga, qui puellam accepit, acceptamque educavit.

§. IV. Quotiescumque hic ad eam ingressus est, apud ipsam inuenit cibum. Interrogauit: *vnde hunc, Maria, habes?* Respondit puella: *eum a Deo accepi: nam Deus, cui vult, sine computatione alimenta præbet.* Perfecti fuerunt inter viros multi; inter mulieres autem perfectæ nullæ fuerunt, præter quatuor, in quarum numero Maria repetitur. Obtigit ei, ut nullum commiserit peccatum, quod nulli de cæteris Adami posterris, præterquam filio eius, accidit. Veracissima fuit, nec unquam, se deam esse, iactauit.

§. V. Tum Zacharias Dominum precatus est his verbis: *Domine, mibi dona sobolem bonam; tu enim preces exaudire soles.* Acclamarunt ei angeli: *certe Deus latum ad te nuncium adferre iubet de Ioanne, qui veritatis testimonium Verbo, (quod) a Deo (proficietur,) quodque Iesus est, tribuet.*

A 3

§. VI.

Verbo. *Iesus sic dicitur, quod dei spiritus est. Verbum appellatur, quia Deus eum creauit verbo, esto.* Ita commentatur moslemus.

§. VI. Maria, velamento conuestita, cum in expositum orienti soli locum secessisset, mislus a Deo spiritus ei virili specie apparet. Quem illa conspiciens ad misericordem Deum se confugere, clamat, eoque ipsum, si numen veneretur, commotum iri. Ad hæc respondet spiritus : *Dei ego legatus sum, qui te elegit ex omnibus mulieribus, quotquot in terrarum orbe sunt, electam supra illas euexit, fecitque puram. Projecto Deus tibi latum quid nunciare iubet. Filium tibi datus est probum, piuumque. Maria vero : unde accipiam, inquit, filium, que cum nullo unquam virorem habuerim, neque sim meretrix.*

§. VII. Tum hæc fatur spiritus : *id tam  
enim erit, quod dixi ; Dominus enim hoc se  
facile efficere posse asseuerat. Ipse, quod cun-  
que vult, creat : quando, ut quid fiat, decre-  
vit ; tum dicit : esto. Et id statim fit. No-  
men filii erit Christus Iesus, Mariæ filius. Hic  
verbum est, quod est ex Deo. Docebit eum  
Deus scripturam, sapientiam, legem mosaicam  
& euangelium. Omnino in proborum erit nu-  
mero, magna existimatione, summaque aucto-  
rita-*

---

*Fecitque puram, scilicet a contactu virorum.*

*Quæ est mos lemorum expositio.*

*Mariæ filius. Ab ipsa eius stirpem repetit,  
ut eam eo magis honoret ; quod sine patre  
illum genitura esset.*

ritate, cum in hac vita, tum in futura. Mit-  
tet eum Deus, tanquam legatum, ad Israe-  
litas, proponetque hominibus, quasi quoddam mira-  
culum, & in argumentum misericordiae suae.  
Ex iis erit, quibus prope accedendi ad Deum  
dabitur potestas. Alloquetur homines, dum ad-  
huc in cunis erit, tanquam vir, etate proue-  
ctus. (Adultus) his verbis compellabit Iu-  
daeos : "profecto datum mihi a domino vestro  
signum vobis exponam : formabo hoc lutum in  
autis figuram, eamque inflabo ; & tum euadet  
auis, volente Deo : ei, qui natura cæcus est,  
videndi restituam facultatem ; mala scabie  
infecto sanitatem, mortuis vitam, volente Deo.  
Quid comedatis, quidue in domibus vestris  
reponatis, diuinabo. Profecto hoc vobis si-  
gnum erit, si credere velitis. Veni autem eum  
in finem, ut, quæ ante me lata est, legem con-  
firmem, & nonnullorum ex iis, quibus vobis  
interdictum est, largiar licentiam. Veni au-  
tem ad vos, datum a domino vestro afferens  
signum. Quapropter Deum timete, mihi que  
obsequimini. Profecto Deus est meus, vester-

A 4

"que

In cunis ; hoc est, infans, ante illud tempus,  
quo fari discunt infantes.

Tum in futura. In hac vita propter prophe-  
tiam ; in futura, quod ( pro hominibus)  
intercedet, & altissimos ( dignitatis) gra-  
dus tenebit.

<sup>2</sup>que dominus : seruite igitur ei. Hæc via  
<sup>2</sup>recta est. Esto itaque, Maria, erga Deum  
deuota, adora eum, ac flece genua cum iis,  
qui flectunt genua

§. VIII. Afflatu Gabrielis concepit Maria, & grauida a cœtu hominum frequentia-  
que se in solitudinem recepit, &, quam lon-  
gissime potuit, discedens, iuxta palmæ truncum consedit. Approquinquante partu, cum  
acerbissimos perpeteretur dolores, diceretque :  
hei niki ! vtinam vita excessissim, antequam  
hoc in me inuasisset malum, hominesque mei,  
vtpote mortuæ, memoriam deposuissent ! In-  
clamat, qui infra eam erat ; ne te tradas la-  
crys & tristitia. Iam fecit Deus, ut riuus  
infra te fluat : concute palmae truncum, fru-  
ctusque ex ea maturi copiose decident. Hos  
comedere, & (ex riuo haustam) bibe (aquam;)   
& sic te reficias, licet. Quodsi porro in ali-  
quem incideris hominem (isque te de nato in-  
terrogauerit) ita ei responde : votum Deo nun-  
cupauit misericordi, ieunam me hodie fore ;  
eamque ob caussam cum nemine mortalium hoc  
quidem die sum collocutura.

§. IX. Iesus igitur sine patre natus est.  
Quotquot ex Adami posteris nascuntur, eo  
tempore, quo eduntur in lucem, a cacodæ-  
mone in latere punguntur ; unde vagitus e-  
rumpit. Sed intactus mansit Iesus, cum ma-  
tre. Obducto enim velo iustum cacodæmo-  
nis

nis ita exceptit, ut ipsis nihil mali sit illatum.  
Nullo unquam se commaculavit peccato. Cor-  
roboratus est spiritu sancto.

§. X. Redeunte matrem, natumque  
portantem, his ciues excipiunt verbis : *O Ma-  
ria ! aliquid sane mirum adfers ! O Aaronis  
soror ! neque improbo nata es patre, neque  
matre meretrice.* Adhæc Maria nihil ipsa re-  
spondet, sed innuit filio, ut obiectum crimen  
refutet. At illi : *qui cum infante, in cunis  
reposito, sermonem instituamus ?* Tum repente  
loqui cœpit parvulus: *profecto, dicens, seruus  
ego Dei sum, qui mibi librum dedit, vatem me  
constituit, fecitque fortunatum,* (ita, ut ubicun-  
que fuero, prospere succedant omnia.) *Præ-  
cepit mihi de frequentanda precatione, &  
stipe eroganda, dum mansero in vita :* *pium  
me in matrem fecit, non autem contumacem &  
calamitosum.* *Pax mihi est eo die, quo in lucem  
editus sum, quo moriar, quoque in vitam redibo.*

## Cap. II.

*Quonodo Christus legati munere functus fit.*

### §. I.

**Q**uum igitur adolesisset; ) prout missus  
erat a Deo ad medicinam exhibendam,  
docuit (*euangelium,*) attulitque ad Israelitas  
demonstrationem, data sibi a domino argu-

A 5

menta

menta grauissima & firmissima, id est, miracula patrandi facultatem. Dixit, quod licet ipsis vesci quoque piscibus, auiibusque, quae permis careant.

§. II. Tum dixerunt eius apostoli: o Iesu, fili Marie: poterit ne Dominus tuus ad nos de celo demittere mensam? Ille: timete, inquit, Deum; si fidem habueritis. Responderunt: volumus ex ea comedere, & tranquillo quietoque animo frui: & scire, vera ne sint, que modo dixeris nobis, & testari de eadem. Iesus: o Deus, Domine noster, demitte ad nos de celo mensam, que festum nobis adferat diem, & quidem cum primo, tum postremo nostrum; sitque nobis signum, abste datum: & nutrinos, qui nutrientium es optimus. Deus: equidem, ait, demittam vobis illam: sed si quis, qui ex eo cibo comedenter, postea non crediderit, hunc ego diris deuouebio, puniamque, ut sit posteris exemplo. Responderunt: hoc contenti sumus.

§. III. Vocabat autem Iesus Simonem, fullonem, qui erat apostolorum praestantissimus, eique dixit: habesne tecum cibum? Respondit: utique duos habeo pisces, & septem libas. Affer, inquit, ea ad me. Et alata

---

vesci quoque. Alii dicunt: permisisse illum iis omnia, ita ut pars hac loco totum significet.

Iata concidit in parva frusta ; iussitque eos in prato assidere denos & denos. Deinde surgens, Deum oravit : qui eum exaudivit, &, adiuncta his alimentis accessione, effecit, ut panis euadet perfectus. Deinde Iesus singulis decuriis, quantum digiti eius ferre poterant, dedit, dixitque : *comedite.* Tum cœpit cibus (*in terra iacens,*) adeo increscere, ut genua ipsorum attingeret ; quantumque Deus voluit, comedenterunt. Superfuit tantum, ut eo quinque corbes impleuerint. Erant autem plus quam quinque millia hominum, omnesque dixerunt : *testamur, te Dei seruum esse, eiusque legatum.*

§. IV. Deinde rogauerunt eum alio tempore ; Iesuque preces fundente, de misit Deus panem & pisces ; quinque scilicet libas & duos pisces. Et idem, quod antea, evenit. Reuersi autem quisque ad urbem suam, cum haec sermonibus diuulgassent ; irriserunt, qui non adfuerant, dicentes : *effrascinando oculos eorum decepit.* Deus autem confirmauit iis, quibus bene esse voluit, de eo, quod viderant. Illi autem, quos perversos esse voluit, in porcos mutati sunt : nec fuit inter eos puer ullus, aut mulier. In quo statu per aliquot dies permanerunt, donec perirent, cum nihil comedenter, biberentque.

§. V. (*Alii haec narrant :*) cum rogarerent Iesum apostoli, ut immittendam sibi curaret mensam ; induit vestem laneam, selenoque

doque dixit : *o Deus ! demitte nobis mensam,*  
*& pone in ea, quod comedamus : tu enim*  
*optimus es nutritor.* Descendit autem mensa  
 rubra, deorsum inuersa, ab utroque latere cincta  
 nube, lataque ab angelis, cœlum inter & terram  
 volantibus. Delapsa est magno sonitu, spe-  
 ctantibus hominibus. Iesus vero, profusis  
 lacrymis, dixit : *o deus ! fac, grati simus :*  
*o Deus ! fac, hoc nobis sit misericordiae argu-*  
*mentum, non pœna, nec supplicii exemplum.*  
 Iudæi igitur intuebantur illam, qui nunquam  
 tale aliquid viderant, nec odorem unquam  
 tam suauem senserant.

§. VI. Dixit Iesus : *surgat vestrum*  
*optimus, mensamque aperiat, &, inuocato*  
*Deo, comedat.* Respondit Simon, princeps  
 apostolorum : *tu omnium hoc honore dignissi-*  
*mus es.* Tunc surrexit Iesus, &, cum se ablue-  
 endo purificasset, multis verbis Deum pre-  
 catus, lacrymatusque est, &, ablato linteo,  
 quo mensa cooperiebatur, dixit : *nomine Dei,*  
*qui est optimus nutritorum.* Et ecce ibi piscis  
 assus, fine squamis, spinisque, pinguitudine  
 stillans ; ad caput sal adpositum erat, iuxta  
 caudam acetum, in circuitu omnis generis  
 olera, præter porrum. Præterea in ea erant  
 quinque placenta. Super primam erant oleæ,  
 secun-

---

ecce ibi. Alius : *erat in ea omne genus cibo-*  
*rum expositum, præter carnem.*

secundam mel condiebat, ouum tertiam, quartam caseus, caroque ficcata quintam.

§. VII. Ait Simon: *o Spiritus Dei, estne hic cibus ex hoc mundo, an vero ex altero?* Respondit Iesus faustæ memorię: *nihil horum, quæ hic videtis adposita, ex hoc mundo est, neque ex altero; sed hac omnia Deus, pro summa sua potentia, creauit.* Comedite igitur, quæ cupitis: *nam roborabit vos Deus, suaque gratia augebit.*

§. VIII. Dixerunt apostoli: *vellemus, nobis aliud in hoc miraculo ostenderes portentum.* Tunc ait Iesus: *o piscis! in vitam redi, volente Deo altissimo.* Statim piscis motare se cœpit, receptis squamis & spinis. Quo viso cum apostoli percellerentur, dixit Iesus: *cur petiistis id, quod consecuti refugitis?* Et addit: *o piscis! vertere in eam formam, qua fuisti antea, idque volente Deo.* Et ecce de-nuo piscem assūm. Illi vero dixerunt: *o spiritus Dei, primus comedere ex ea; tum nos etiam edemus.* Respondit Iesus: *abfit, ut ex ea comedam; is comedat, qui id petiit.* Illi vero, præ timore, ex eo comedere dubitauerunt.

§. IX. Iesus autem vocavit pauperes, ægrotos, mutilos, mancos, claudos, & (*omnis generis*) miserios (*homines,*) dicens: *comedite alimentum Dei;* nam vobis id proderit, ut cæteris nocebit. Comederunt igitur ex ea mille ac trecenti viri & mulieres, qui omnes erant pau-

pauperes, annosi, ægroti, æruminosi ; cunctique saturati sunt. Deinde respexit Iesus ad pisces, qui erat eadem forma, qua missus de cœlo fuerat. Postea mensa sublata est in cœlum, ipsis spectantibus, & subducta est oculis. Nullus autem illo die ex ea comedederat confectus ætate, quin conualeceret ; nullus aduersa valetudine conficitatus, quin sanaretur ; nullus æruminosus, quin leuaretur (*ægritudine & calamitate* ; ) nullus pauper, quin ditesceret, diuesque permaneret (*ab eo tempore*) usque ad mortem. Apostolos vero, cæterosque pænituit, non comedisse ex ea.

§. X. Delabente autem rursus de cœlo mensa, confluebant diuites, pauperesque, parvuli & adulti, viri ac mulieres : seque inuenient, præ studio ad eam accedendi, comprimebant. Iesus autem eos alterne ad eam admittiebat. Factum hoc est per quadraginta dies, mane, prandendi hora appropinquante ; omnesque eo tempore cibum ex mensa illa capiebant : postea hæc auferebatur sursum, cunctis umbram eius videntibus, cum ipsa absconderetur. Deueniebat autem alternis diebus, sicut camela Themudi. Et præcepit Deus

---

Alternis diebus. Alius : demittebatur illis  
mane & vespere, quo cunque loco essent ;  
sicut manna, & coturnices Israëlitis sup-  
peditatae sunt.

Deus Iesu, dicens : *appone mensam, alimentumque meum pauperibus, sciunctis diuitibus.* Et dubitare cœperunt, verene demitteretur de cœlo. Ideo dixit eis Iesus : *periistis; preparate vos ad pœnam diuinam.*

§. XI. Nihilominus Iudæi non crediderunt ei. Id cum Iesus animaduerteret, dixit : *quinam mihi pro Deo esse volunt adiutores?* Responderunt apostoli : *nos Dei esse volumus adiutores: credimus deo; & testare, nos esse mortemos. Domine noster, credimus, quod denissisti legatum, eumque sequuti sumus. Scribe ergo nomina nostra inter testantes.*

§. XII. (*Cæterum plura Iesus edidit miracula.*) Vno die quinquaginta millia ægrotum sanavit, Deo inuocato, eaque condizione, ut credant. (*Alio tempore*) mala scabie affectum sanitati restituit. Cæco reddidit vi-  
sum. Ex muliere cacodæmone in expulit. Ex luto creauit aliquid, aui simile, Deo concedente : in quod cum inspirasset, eodem permittente, auis exitit.

§. XIII.

Aliquid aui simile. Interpres quidam scribit : "creauit aues multas. Alius : crea-  
"uit vespertilionem; quia hic in omni vo-  
"lucrum genere perfectissimus est natura.  
Videbant illum homines; e quorum con-  
spectu cum euolaret, mortuus decidit in  
terrā.

§. XIII. Mortuos eduxit e sepulchris. Semum scilicet, Noachi filium, inuocato nomine maximo (*Dei*,) e mortuis excitavit. Exiuit autem iste ex sepulchro semicanus; cum tamen illo tempore, quo vixerat, homines minime canescerent. Sed hoc ei euenit, quod se in ultimum iudicium vocari putabat. Non diu posthac vixit, sed exemplo iterum mortuus est. Præterea vitam reddidit publicani filiae; item filio vetulae mulieris, & Lazaro iusto; qui liberos postea suscepserunt. Feicit hæc omnia, concessione Dei. Qui cohibuit etiam furorem, manusque Israelitarum, ab ipso, adferente demonstrationem. Expulsus tamen est.

## Cap. III.

## Fabula de exitu vita Christi.

## §. I.

**Q**uum rediisset Iesus, apostolis comitantibus, denuoque doceret (*euangelium*;) omnem cogitationem, curamque in eo defigere cœperunt (*inimici*,) quomodo ipsum e medio tollant; eaque de re inter ipsos conuenit. Et hic

---

Concessione Dei. Interpres addit: "vti Muhammedem his verbis, ad euellendam ex hominum animis opinionem diuinitatis eius.

hic fuit illorum dolus. Celebravit Iesus paschatis solemnia, eaque feriae quintae; pane & vino adhibito: & ingressus est domum cuiusdam ex adseclis. Iudei Iesum comprehendere summe studebant. Venit ex apostolis quidam, cui nomen Iude erat, ad Herodem, Iudeorum iudicem, horumque collegium, dicens: *quid (præmii) mihi dabitis, si vobis Iesum indicauero?* Dederunt ei triginta denarios: quos cum accepisset, ubi ille esset, iis ostendit. Iesus autem ea nocte, quæ feriam sextam antecedit, exiit in montem.

§. II. Dixit ei Deus: *o Iesus, equidem recipiam te ad me, extollamque, ac te purgabo de illis, qui fidem tibi habere notuerunt; facturus ad seclas tuos incredulis ipsis hominibus superiores usque ad diem, quo mortui in vitam redibunt.* Deinde ad me reuertemini; *& ego judicabo inter vos de iis (doctrinis,) in quibus dissidebatis.* Et ad eos quod attinet, *qui increduli fuerint, hos grauissima pena adficemus in hac & in futura vita; nec illis utili erunt adjutores.* At iis, qui crediderint, *& recte fecerint, persoluam (recte factorum & virtutis) mercedem.* Ego, vt moriaris, efficiam, teque euectum sedibus meis recipiam. *Sic te ab infidelium (infidiis) liberabo.*

§. III. Iesus præmonuit de hoc socios, dixitque: *quis vestrum in meam vult transferri figuram, vt a Iudeis mei loco occidatur?*

B

Deus

*Deus hunc eo die, quo mortuis restituetur vita,  
eodem, quo ego sum, gradu collocabit. Ad  
haec ex illis quidam respondit : se id velle,  
Mutatus igitur is fuit in Iesu figuram.*

§. IV. Indutus erat Iesus thorace,  
ex pilis confecto, & versabatur in monte oli-  
ueti; ubi angelus ad eum venit. Mori illum  
fecit Deus, mortuumque tribus horis diurnis  
reliquit. Deinde ad vitam reuocatus est, at-  
que, vehementi excitato vento, cum ipse celer-  
rimo cursu ferretur, ab angelo, qui duobus  
eum apprehendit digitis, in cœlum sublatus.

## §. V.

*In Iesu figuram. Dixit quidam : "postri-  
"die igitur socii Iesu numero nouemdecim  
"reperti sunt, cum pridie fuissent viginti.  
"Erat enim inter eos, qui similitudinem,  
"speciemque Iesu gerebat.*

*Angelus ad eum venit. Adfirmant non-  
nulli : missum esse a Deo Gabrielem, qui  
eum in domus cuiusdam abdiderit fene-  
stram.*

*Mori illum fecit. Dicunt alii, nulla in-  
terueniente morte, ipsum a Deo in cœlum  
raptum esse. De morte autem eius variae  
& discrepantes sunt sententiae.*

*Tribus horis. Alii, eum per septem diei  
horas morti subiectum fuisse, contendunt.*

§. V. Interea Iudei, quibus Iudas seducem præbuit, exploratorem miserunt, qui locum, ubi esset Iesus, obseruet. Tum is, qui Iesu euaserat similis, comprehensus est, quamuis diceret, se non esse Iesum. Nam Iudei fidem ei non habuerunt, minime dubitan tes, quin ipse Iesus sit. Adstrictum vinculis trahere cœperunt: percusserunt eum, expulerunt in faciem eius; capiti coronam impo sserunt, ex spinis confectam. Dixerunt ei: *tu, qui mortuos ad vitam reuocabas, nonne te ab his vinculis liberabis?* Multaque alia, quæ odium suggerebat, in eo fecerunt. Ita tota excruciatu noëte, postridieque hora tertia in crux actus, per sex horas in ea pependit, antequam mortuus est.

§. VI. Iudei gloriati sunt: *nos certe occidimus Iesum, filium Mariae.* Verum enim

B 2                          vero

---

exploratorem. Nonnulli eum Titianum vocant, dicuntque: ipsum, Iudee jussu, per fenestram ingressum domum, in qua Iesus esse creditus sit, ut hunc interimat. Domum vero circumdatam fuisse a iudeorum turba, qui noctem quoque in eius custodia transegerint. Iesum minime inventum; at Titianum, ei similem factum, & idcirco vita priuatum. Dolum hunc fuisse Dei. Quod Titiano acciderit, ab aliis in ipsum Iudam transfertur.

vero similitudine eius decepti fuerant. Et profecto (*ad seclæ Christi,*) discordes, id, (*quod de aliis supplicio retulimus,*) in dubium vocarunt; nec certa prædicti fuerunt scientia, sed (*alienam*) duntaxat sequuti sunt opinionem.

§. VII. Eodem supplicio adfecti sunt duo latrones, qui etiam hora nona exspirarunt. Deinde Iosephus, faber tignarius, corpus exanime petit ab Herode, Iudæorum iudice, qui cognomento Pilatus (*perhibetur:*) impetratum in sepulcro, quod sibi fecerat, condidit.

§. VIII. Septimo die descendit Iesus, Dei jussu, de cœlo ad matrem inuisendam, consolandamque. Hæc summo se merore conficiebat, tantamque profundebat lacrymarum vim, quantam nemo unquam. Dixit ei (filius:) Deus me ad se sustulit; neque mihi quicquam contigit, nisi quod (omnium) optimum

---

descendit Iesus. Alius hæc narrat: "venit  
"mater Iesu cum muliere, ex qua hic ca-  
"codæmonem expulerat, & iuxta crucem  
"stantes lamentis se lacrymisque dedebant.  
"Iesus vero accedens: cuius causa fletis,  
"dixit? Respondentibus illis, tui: me  
"quidem, inquit, Deus ad se in cœlum sustu-  
"lit, nec mali quidquam, sed fausta omnia,  
"euenerunt; iudeos vero mei similitudo  
"decepit.

*mum est.* Iussit eam unum in locum congregare apostolos. Tum constituit eos legatos Dei, ipsisque id in mandatis dedit, ut abeant per terrarum orbem uniuersum, (*legemque diuinam*) publicent. Quo facto, Deus illum ad se iterum adsumvit.

§. IX. In cœlo autem ita eum Deus allocutus est: *o Iesu, fili Mariæ, memento meæ erga te, matremque tuam, beneficentia;* cum te spiritu sancto corroborarem, ut alloquereris homines, *cum essem in cunis, & senex:* etenim docui te scripturam & sapientiam, pentateuchum & euangelium: *cum ex luto creares aliquid, aui simile;* *in quod cum inspirasses, auis extitit, nobis permittentibus:* & *fanares cæcum, scabieque mala adfectum, me concedente:* *cum mortuos e sepulcris educeres,* nobis concedentibus: *cum cohiberem a te furorem, manusque Israelitarum, &c.*

§. X. Interrogatus Hoseinus, Phadeli filius: an inuenerit in alcorano aliquid, quo probetur, Iesum olim e cœlo in mundum descensurum? respondit: se tale aliquid reperiisse in eo capite, quod de familia Amrani inscribatur. Ibi enim dici: Christum, senem, homines allocuturum. Cum vero, antequam ablatus sit, non peruerterit ad senectutem; consequens esse, ut redeat in mundum, quo senex euadat. Tunc commorabitur in

B 3 terra

terra quadraginta annos ; ac isto temporis tractu inhibet matrimonium, atque ex eo suscipiet liberos. Tandem morietur : & obrabunt super eo moslemi, ipsumque sepelient in conclaui prophetæ, Muhammedis.

§. XI. Eo autem die, quo judicium commune exercebitur, Deus compellabit Iesum : tunc præcepisti hominibus : accipite me matremque meam Deos, præter Deum ? Tum ille : nequaquam, dicet, non conuenit, mihi ea tribuere, quæ ad me non pertinent. Si ea dixissim, tu certe scires. Tu quidem nosti, quæ in me sint ; sed, quæ sunt in te, me plane fugiunt. Utique tu es cognitor arcanorum. Nihil eis dixi, præter id, quod mihi in mandatis dedisti ; nempe hoc : colite meum vestrumque Dominum. Idque iis, quādiu inter ipsos commoratus sum, testificabar : at post meum discessum tu eos obseruasti ; tu enim omnia perspicis. Si punieris eos, illi certe sunt seruū tui ; si in ipsis peperceras, certe tu es præpotens, sapiensque.

---

quadraginta annos. Ex aliorum sententia  
quatuor supra viginti.

Appen-

## Appendix.

*Exempla vitiarum a muhammedanis historiae  
christianorum ecclesiasticae.*

**G**eneratim de muhammedicis rerum nostrarum ecclesiasticarum narrationibus vide Hottingerum; (\*) qui etiam, ex alcorani mendaciis quomodo historiae ecclesiasticae particulas eruere possumus, docuit. (\*\*) Iam litterarum ordine speciatim exhibebimus exempla, Collyridiani. Hotting. hist. orient. 344.

*Discordia* christianorum circa doctrinas, taxata a Muhammede. Alcor. V. 15.

*Dissidia* doctrinæ de Christi diuinitate. Maccii alcor. LXI. 16. in notis. 15. XIX. 35.

*Dormitores* septem. Hotting. hist. orient. L. I. c. 3. p. 59. 150. Alcor. 18. Eutych. in annal. alexandr. p. 391. Abulphar. 128. Saadi rosar. persic. lib. I. c. 6. Geogr. Nub. 275. 276. edit. lat.

*Georgius*, sanctus quidam vir. Relandus de relig. muhamm. 40. not. 41. not. Hott. hist. orient. 149-152. 408. Alcor. XIX. Gregor. Turonensis, tom. XI. biblioth. patrum max. 959. Eum vehementer colunt, tanquam insignem equitem & heroem. Rauwolf itiner. 316. *Iacobita*. Hott. hist. or. 345. 348. 353.

*Maria*

---

(\*) hist. eccl. c. III. sect. V. p. 149. &c.

(\*\*) in hist. orient. p. 321.

*Appendix.*

*Mariae* diuinitatem tribuens secta. Maracci  
alcor. Sur. V. 82. in notis.

*Melkitæ*. Hotting. hist. orient. 344. 345. 348.  
349. 351. 354.

*Monachatus* origo. Maracci alcor. Sur. LVII.  
27. in notis.


*Nestoriani*. Hott. hist. or. 345. 349. 353. Di-  
ssertations sur diuers sujets. to. I. 88.

*Photiniani*. Hotting. hist. orient. 361.

*Samosateni*. id. 361.

*Sectæ christianorum*. id. 345.

*Sociniani*. id. 361




Bd 1216.

8 8°

Bd C.





10.

# HISTORIA IESU CHRISTI MVHAMMEDICA

---

EDIDIT  
IO. HENR. CALLENBERG  
Ph. Prof. Publ. ord.

---

Halæ in typographia instituti iudaici  
cl<sup>o</sup> lccc xxxvi.